



Papa pro pace et iustitia appellavit

Complura dena milia hominum in plateam Petrianam civitatis Vaticanae die Dominico paschali convenerunt, ut missam a summo pontifice Benedicto XVI celebratam audirent.

Papa erga victimas terrae motus Aprutiensis solidaritatem petivit, de violentia in Africa et in Proxima Oriente monuit atque ad mundum pro pace et iustitia appellavit.

Nullam pacem sine ordine Hamas

Praesidens Martti Ahtisaari, praemio pacis Nobeliano praemiatus, censet conflictum inter Israellem et Palaestinenses sine ordine Hamas solvi non posse.

"Processus pacis Proximi Orientis", ait Ahtisaari, "cum novo regimine Americanorum promovetur. Discrimen oeconomicum efficit, ut possibilitates cooperationis politicae ad pacem faciendam meliores sint quam ante."

De tumultibus Thailandiae

In Thailandia Thaksin Shinawatra, pristinus primus minister, et reclamatores eum sustinentes nova comitia flagitant et primum ministrum Abhisit Vejjajivam deponere volunt.

Exercitum, iudicia magistratusque accusant, quod democratiam despiciant. Thaksin, qui in exsilio vivit, iram populi contra regimen hodiernum iam tres annos incitat. Culmen discriminis politici fuit, quod tempore paschatis tumultuantibus contigit, ut conventum principum terrarum Asiaticarum Pattayae impedirent, cum in ministerium rerum domesticarum penetraverunt et ministrum Vejjajivam fugere coegerunt.

Participes conventus, qui iam Pattayam venerant, de tecto deversoriorum in tutum helicopteris deportati sunt. Die Lunae (13.4.) tumultus Thailandiae violentiores facti sunt, cum milites in vias Bangkokii missi reclamationes armis coercere coeperunt. In pugnis inter exercitum et oppositionem ortis duo homines mortui, plus centum vulnerati sunt. Erant in viis Bangkokiensibus circiter quinque milia reclamatorum et sex militum milia. Die Martis (14.4.) duces oppositionis ab exercitu circumdati nuntiaverunt se manifestationes ad interim Bangkokii interrupturos esse. Ut fautores ipsorum tuti essent, promiserunt se a palatio regiminis, quod tres per septimanas obsederant, abituros esse. Peregrini in Thailandia versantes ex tumultibus nulla damna ceperunt.

Inscriptiones Alhambrae investigantur

Investigatores Hispani interpretationi inscriptionum Arabicarum Castellii Alhambrae operam dare coeperunt.

Numerantur circiter decem milia et constant ex singulis verbis, carminibus aut sententiis Alcorani. Propositum investigatorum est omnes inscriptiones ante annum bis millesimum undecimum in interrete inferre. Hoc tempore tertia fere pars Hispanice versa in disco compacto parata est. Multae inscriptiones sunt attritae et vix legibiles. Verba usitatissima sunt "felicitas" et "benedictio", saepius occurrit sententia "Nulla est victoria nisi Deus". Alhambra, quae inde a nono saeculo nota est, margarita culturae Islamicae Hispaniae habetur et inter hereditates mundi culturales numeratur.